



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

9. Mortificatio Membrorum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

## P A S S U S IX.

Mortificatio oris , manuum ,  
pedum , & aliorum mem-  
brorum.

## T E X T U S.

*Sicut exhibuistis membra ve-  
stra servire immunditiæ, &  
iniquitati ad iniquitatem: ita  
nunc exhibete membra ve-  
stra servire justitiæ ad san-  
ctificationem. Rom. 6. 19.*

## Cognitio.

**C**orporis membra in his abneganda  
& mortificanda sunt: 1. Ne ea, quæ  
ad Deo serviendum concessa sunt orga-  
na, ad ejus offensam, adhibeantur in-  
strumenta. 2. Ne membrum unum, al-  
terius fungatur officio. 3. Cachinni, cla-  
mores, gesticulationes, & mores indecen-  
tes caveantur. 4. Plurima alia, modestiæ &  
decoro repugnantia evitentur.

Con-

*Consideratio motivorum.*

Ad hanc mortificationem impellat te,  
 I. Amor modestiæ, non solum personis  
 religiosis, verum etiam honestis quibus-  
 cunque conveniens. II. Gratitude; ma-  
 nus enim Domini plasmavit te; pelle &  
 carne vestivit te; ossibus & nervis com-  
 pegit te; manibus & pedibus, oculis &  
 labiis instruxit te, ad sibi serviendum;  
 quidni igitur ea gloriæ divini devoveas?  
 III. Magnitudo beneficiorum, in mem-  
 brorum concessione collatorum: quanta  
 enim singula sint dona, ex carentia sin-  
 gulorum deprehendes; si enim oculos,  
 manus, aut pedes amissos, recuperare pos-  
 ses, quàm auri, argenti que summam, non  
 libens impenderes? An non igitur insignis  
 ingratitude nota est, ea ad peccandum,  
 Benefactorémque liberalissimum offenden-  
 dum usurpare?

*Petitio.*

Largire mihi, Creator mi, omnia cor-  
 poris mei membra ita mortificare, ita  
 gubernare; ut semper, in silentio & lo-  
 cutione, in sessione & statione, in am-  
 bulatione & motione, in bibitione & come-  
 stione, aliâve quavis actione, morum ho-  
 nestatem eximiam, compositionem exa-  
 ctam,

Etiam, decoram urbanitatem ac modestiam singularem præ me feram, ad gustum & beneplacitum tuum; nihilque admittam, quo oculos tuæ Majestatis offendam.

*Aspirationes.*

I. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram. Ad Coloss. c. 3.*

II. *In ipso motu, gestu, incessu, tenenda verecundia. S. Ambros. L. 1. Offic. c. 18.*

III. *Da mihi, Domine, ita membra omnia regere & gubernare, ut proximis exemplum, oculis tuis spectaculum amœnum exhibeam.*

P A S S U S X.

Mortificatio Abusûs Linguæ,  
In pronuntiando toties, absque reverentia, SS. JESU nomine.

T E X T U S.

*Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum. Exodi c. 20.*

Cogni-